

bris comparatur, ac recto de ijs iudicio (quod conversatione cum prudentioribus conformatur) instructum eum esse oportet: sicut & Veteris Testamenti Patriarchas & Prophetas, & Novi Apostolos, eorum non planè rudes fuisse manifestum est. Vt interim taceam de Sanctorum peregrinationibus, cum religionis propagandæ, tum eruditionis comparandæ causa susceptis: quo nomine (ut plurima exempla alia, quibus plenà sunt sacra illa bibliorum, & patrum volumina nunc omittam) duo isti Ecclesiæ vetustioris ocelli, Basilius Magnus & Nazianzenus, Athenis, civitate alioquin *καλειδῶλα* aliquandiu se substituisse, ipsimet apertissimis verbis sparsim profitentur.

Sed ut redeam ad id, unde modo sum digressus. Reversus in patriam LOBECHIUS, cum hæctenus ei potissimum sua destinasset studia, quippe quod ortus sui partem patriam sibi vindicare, ex Tullio jam pridem cognovisset, pedem ibi figere animum induxit suum: at cum nullo vacante loco, honesti sui voti compotem se fieri non posse videret, ad Academiam hanc nostram divino haud dubiè instinctu retractus, in ea Deum fortunamq; vocantem præstolari constituit. Atq; sic fausto omine ad nos recurrens, nihil de pristina diligentia frequentandi lectiones publicas remisit, sed eandem crebro concionandi exercitio, & disputandi studio, auxit: eoq; pacto non tantum sese ad munus Ecclesiasticum deinceps subeundum, & verbi divini professionem, cui se jam totum addixerat, rectè præparavit: sed etiam præceptorum suorum benevolentiam & favorem sibi conciliavit facilimè, eosq; ad sui amorem & promotionem miram in modum allexit. O felicem illum diem qui LOBECHIUM ad nos reduxit! o vero infelicem illum qui tanto nos viro tam subitò privavit!

Dixi